



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. An Parochi acquirant jus perpetuum in Beneficio Patronato?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS VII.

De Institutionibus.

DECISIO LXXX.

De Parochianis suum Parochum amoveri
cupientibus..

SPECIES FACTI.

IN quodam oppidulo Primores (civium inquam, an rusticorum?) cæperant averfari Parochum suum, eò quod fastuosum crederent, qui ne quidem haustum cerevisiæ in camera charitatis, ut ajebant, secum faceret. Latebat insuper alia quoque scintilla in unius vel alterius pectore, seu invidiæ seu odii. Tres proin ex his Primoribus non cessabant alios, imò & totam plebem, quæ tamen Parocho erat bene affecta, ejusque functiones, ministeria, præsertim conciones, multum laudabat, concitare ac invitare, ut junctâ operâ Parochum suum sta-

tionem expellerent, sive privatum Beneficiò, sive cum alio illud permutatum justum. Quare sapius ad Ordinarium recurrerunt de variis delictis accusando Curionem suum, at qui non erant minutia tantum, vel defectu probatione, frustraneo labore impus & pecunias terebant. Deinde inciderunt in Advocatum, in foro quidem Civili famosum, at non æquum Canonum peritum, qui contentio Parochum hunc ad arbitrium Ordinarii loco & parochia sua moveri per- Unde agitari cœpit

Q U Æ S T I O.

An Parochus iste, institutus in Beneficio patronato, habeat jus perpetuum, ita ut ab Ordinario pro arbitrio amoveri nequeat?

Memoratus Advocatus, desperatas causas defendere assuetus, omnia rimatus est, ut præfatum Paro-

chum ex oppido pelleret, nodum scirpo quærens. I. Ajebat, institutio illius facta est à Vicario

absque speciali mandato Episcopi; quod tamen juxta Cardin. in Clem. 2. de Jurepatr. q. 2. Imol. ibid. Rebutum in Praxi tit. forma vicariatus n. 126. seqq. omnino necessarium est, ut desumitur ex Trid. s. 14. c. 13. ubi sic habetur: non liceat Patrono aliquem ad Beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, quoquo modo presentare; cum neque de Jure communi possit Vicarius Generalis conferre Beneficia ad Episcopum pertinentia sine speciali mandato. c. fin. de off. Vicar. in 6. Verbum autem conferre eam comprehendit institutionem in Beneficio: adde, quod Vicarius absque speciali mandato nequeat Beneficium provivum destituere, h. e. beneficium privare. c. 12. de heret. in fine: ergo nec instituere presentatum.

II. Non solum requiritur ad valorem institutionis mandatum speciale Episcopi, sed etiam edictum prævium, quo publicè affixo post factam presentationem, & hujus acceptationem continentur generaliter omnes, quorum interest, ut intra certum tempus proponant, siquid habent vel contra presentationem factam seu ratione Patroni seu ratione Presentati, vel contra institutionem faciendam ratione ipsius, qui jus instituendi obtinet. Sumitur ex c. fin. de Elect. in 6. quod et si loquatur de confirmatione Electionis, communiter tamen, imò teste Corrado in Praxi benefic. l. 4. c. 3. n. 20. uno ore DD. extendunt etiam ad institutionem Presentati propter paritatem rationis. Quod verò institutio

absque tali edicto generali, & ubi contradictor adest, speciali facta non subsistat, patet ex d. c. fin. cui adjectum reperitur decretum vel clausula irritans. Corrad. n. 28. Garc. Pirh. & alii apud & cum Leuren, in for. benefic. P. 2. q. 192. n. 1.

III. Etsi hæc omnia non obstant, in hac tamen dicecesi nullus dicitur propriè instituti collatò titulò & in perpetuum, sed solum concedi commendam Beneficiorum Presentatis, ita ut, si & quando Ordinario visum fuerit, eos amovere possit, aut permutationem injungere: & sanè respectu hujus Parochi, ut ad permutandum cogatur, sufficiens est ratio perpetua cum Parochianis discordia. Et rectè quidem non propriè instituuntur cum jure perpetuo, quia

IV. Hoc modo admissi nunquam sunt securi, & quod indè consequitur, necessitate quadam compelluntur ad morum integritatem, bonamque Beneficiorum & Parochiarum administrationem, si nempe sciant, se facillè iterum posse amoveri, vel ad permutandum sua Beneficia cum tenuioribus compelli.

Sed frustra fuit hucusque omnis conatus hujus Advocati, eritque haud dubiè etiam deinceps. Manutenedus proin iste Parochus est in suo Beneficio Parochiali, cum omnino SS. Canones ei assistant, & communis Canonistarum doctrina, ex qua notandum I. Beneficium Ecclesiasticum esse Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesie, ratione Spirituales Officii, auctoritate Ecclesiastica confirmatum.

situ-

stitutum. Barbosa de Jure Eccles. Univ. l. 3. c. 4. n. 8. Leucenus in foro beneficii l. 1. q. 1. Dicitur perpetuum, non solum ratione ipsius Beneficii, quod per mortem possessoris non extinguitur, sed vacat, alteri conferendum; sed etiam, si sit Beneficium propriè dictum, respectu Beneficiati, ita ut ei non detur ad tempus, sed in titulum perpetuum, ut aded sine causa, in Jure expressa, ab alio, quàm à Pontifice, auferri nequeat. Barb. n. 11. Leuren. q. 4. n. 2.

Notandum II. Hanc perpetuitatem posteriorem inesse per se omnibus Beneficiis secularibus, maxime Curatis & Parochialibus. Leuren. q. 61. n. 2. § q. 177. cum communi, etiam Vicarius perpetuis, quæ reperiuntur in Beneficiis unitis Ecclesiæ alteri, vel Monasterio &c. DD. communiter ad c. extirpandæ. 30. de Præb. cùm etiam talis Vicarius suam Vicariam habeat in titulum, atque jus in Beneficio, ac titulum utilem ipsius Ecclesiæ, remanente solum directo penes Rectorem, seu Parochum principalem. Leuren. q. 122. n. 1. cum Corrado, Loterio &c. etiam si hujusmodi Beneficia sint patronata, ut ex communi supponit Leuren. q. 63. in fine.

Notandum III. Quamvis hæc perpetuitas tolli, & ex Beneficio propriè dicto atque respectu Beneficiati quoque Perpetui fieri possit Manuale, ita ut pro libitu Superioris, aut Patroni Beneficiatus sit amovibilis, per consuetudinem immemoriam, aut Præscriptionem quadragenariam. Leur. d.

q. 4. n. 2. § q. 62. sicut in ipsa fundatione per qualitatem manualitatis adjectam, non tamen ab Episcopo vel alio, qui Papæ inferior est, non obstante quacunque consuetudine contraria. Et quidem de Beneficiis Parochialibus non unitis, est declaratum à S. Congregat. ad c. 18. sess. 24. Trid. Corrad. l. 3. in Praxi benef. c. 9. n. 39. Gonz. ad Reg. 8. Gloss. 5. §. 6. proem. n. 66. Ratio, quia in Beneficiis parochialibus datur quasi matrimonium spirituale inter Beneficiatum & Ecclesiam, sicut autem matrimonium carnale contrahitur ad tempus, ita nec spirituale. Sanch. in Decal. l. 7. c. 29. 106. Corrad. l. 3. c. 1. n. 1. Leuren. q. 4. § 177. idque procedit etiam in parochialibus Patronatis. Leuren. q. 122. item in unitis, seu Vicariis perpetuis. Corrad. c. 9. n. 3. Lot. l. 34. n. 171. Leur. q. 122. Præterea in Beneficiis, quæ ex primæva fundatione, privilegio Pontificis &c. continent manualitatem, ita ut Episcopus neque cum consensu Patronorum Patronata sint, saltem absque celebratione solennitate possit manualitatem auferre. Leuren. q. 63. cùm in potestate Episcopi non sit statum primævum Beneficii immutare, nisi ad ipsum pertinet collatio libera Beneficii, ac simul ipso primævus status sit inductus, debet Beneficia conferre in perpetuum. c. un. de Capell. Monach. in c. Presbyteri, qui ad curam populi præstantur Episcopis, § insistantur ad DD. (cùm debeant esse perpetui) consuetudine vel statuto quovis contrario non ob-

ne, nequeunt amoveri. Consonat *can. 2. d. 70. Gonzal. ad c. 2. de concess. prel. n. 13.* Cùm igitur collatio libera ad Episcopum non pertineat in Beneficiis Patronatis ex una, & ex altera parte perpetuitas Beneficiorum (quod aliud in prima fundatione ordinatum, & manualitas sit inducta) sit statuta à Jure Communi, in quo nihil potest Episcopus, etiam cum consensu Patronorum, non video, quomodo Episcopus ex Beneficio perpetuo facere possit manuale. Vid. *Leur. q. 33. n. 4.* A fortiori id non potest Episcopus, vel ejus Vicarius, in Beneficiis Patronatis absque consensu Patronorum, quia ipsorum juri derogaret, cùm habeant jus præsentandi suos ceteros ad Beneficia perpetua, & sic non quam optimè gratificandi.

Notandum IV. Præsentatos à Patrono necessariò debere admitti ab Episcopo ad Beneficia, nisi nempe prævio examine reperiantur indigni. *c. pastoralis. §. c. quod autem de jure patr.* & per hanc admissionem, quæ vocatur institutio propriè & specificè, præsentatis præsentatione acceptata conferri jus in re, & plenum in beneficio, atque titulum, sive fiat verbis, sive litteris, sive factis. Rochus de Curte *de jure patr. q. 5. V. jus. Vivian. de jure patr. p. 2. l. 13. c. 2. n. 2. 11. & alii passim. c. ex frequentibus. c. auctoritate. b. t. arg. c. si tibi. c. fin. de Erab. in 6. Lotter. l. 2. q. 13. n. 13.* & comparatur confirmationi, quæ subsequitur electionem acceptatam. *DD. in c. fin. de Elect. in 6. per con-*

firmationem verò tribuitur jus in re certò. Unde Institutio, per quam admittuntur Præsentati ad Beneficia, definitur esse *concessio Ecclesie vel Beneficij vacantis necessaria ad præsentationem vel nominationem Patroni facta ab Episcopo, vel alio id juris habente, & jus plenum tribuens.* Azor, Barb. Lotter. Abb. in *c. auctoritate c. n. 7. Vivian. l. 2. p. 2. c. 1. n. 1.* sumitur ex *can. decernimus. 16. q. 7.*

His notatis solidissimè firmatur resolutio nostra in hunc modum. Parochus, quo de sermo, fuit legitime præsentatus ad Ecclesiam & Beneficium Parochiale, quod detinet, sive illud sit unitum Monasterio vel Collegio aut Ecclesie alteri, sive non (de quo non fui edoctus) ac insuper à Vicario Generali nomine Episcopi fuit admittus necessariò, cùm non potuerit repelli tanquam indignus: ergo fuit Canonice institutus in suo Beneficio, jusque plenum ac in re consecutus ex una, ex altera verò parte hoc ipsius Beneficium, utpote Parochiale, Sæculare (non Regulare) ex se & primava fundatione, cui nulla Consuetudo immemorialis vel Præscriptio contraria manualitatem adscivit, est perpetuum etiam respectu Beneficiati, ut est innegabile, per *can. 2. d. 70. §. c. un. de Capell. Mon. in 6. & communem Beneficialistarum:* ergo consecutus est titulum in eo perpetuum ac jus plenè quæsitum, & quidem in re: ergo extra casus in Jure expressos, & ad arbitrium Episcopi vel ejus Vicarii amoveri vel ad permutationem cogi invitus non potest; cùm in potestate

testate Episcopi (minùs Vicarii Generalis) non sit perpetuitatem prædictam tollere, & manualitatem inducere. *can. § cap. cit.* Textus in *d. c. un.* sic sonat: *Presbyteri, qui ad curam populi præsentantur Episcopis, & instituuntur ab ipsis (cùm debeant esse perpetui) consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt Ecclesiis amoveri.* sed is obligetur instituere eo modo, quo Jura volunt, & natura Beneficii exigat; cùm Institutio, quæ sequitur Præsentationem, sit de Jure actus necessarius, tribuens jus in re plenum, & quidem cum perpetuitate, si Beneficium ex se sit perpetuum. Omnia hæc satis probata sunt, & elucescunt ex Notandis paulò antè præmissis.

Confirmatur exinde, quòd Parochus iste prævia institutione Canonica jam diu possederit pacificè suum Beneficium, ac proin securus etiam sit ex regula de trienniali possessore.

Quæ Advocatus opposuit, frivola sunt & vana, nulliusque momenti. Ad I. Siquidem Cardinali, Imolæ, & Rebuffo (transmissò, quòd ita doceant, de quo sit fides penes allegantem) opponitur auctoritas reliquorum DD. ferè omnium, qui uno ore tradunt, ad Institutionem præsentatorum non requiri mandatum speciale Episcopi, & Vicarium Generalem vi sui officii & Vicariatùs, adeòque mandati generalis, eam facere posse, propter clarum textum *c. 3. b. t.* ubi habetur, quòd Clerici debeant recipere Beneficia Ecclesiastica cum consensu Episcopi, vel Officialium suorum (quo

nomine Officialis in Jure intelligitur Vicarius Generalis) qui hoc de Jure possunt. Rubrica autem sic habet: *Institutio Beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum Officiales:* ergo ipsi Vicario Generali ratione ministerii sui jam tribuit potestatem instituendi præsentatos in Beneficiis: ergo ille opus non habet speciali mandato Episcopi. Dein ibidem assignatur Vicario Generali potestas *ferendi liberè Beneficia ad Episcopos pertinentia, quia libera collatio electionis natio:* ergo à sensu contrario, Institutio præsentatorum, qui jus rem jam obtinuerunt, non fit donec sed collatio Beneficiorum necessè ibidem permittitur Vicario Generali Institutio. Dum Trid. *s. 1. c. 13. cit.* voluit præsentationes fieri Episcopo, non adimit Vicario Generali jus instituendi Præsentatos, quia non censetur derogasse Juri antiquo *c. 3. cit.* dum nullam expressam correctionem, nec dixit, tantum Episcopo faciendas esse præsentationes & jus instituendi competere, tamen solebat, quando voluit Vicario Generali excludere, & soli Episcopo concedere, uti in *sess. 24. c. 6. cit.* partim quia Trid. addit, *loci Vicario;* sed etiam Vicarius Generalis & dicitur Ordinarius loci, habere jurisdictionem ordinariam, ad quam pertinet institutio, partim quia etiam vi ipsius Tridentini, qui censentur Episcopis, licet non fiat institutio Vicariorum, his tamen competitur. *Leur. de p. de p. de p.*

Secundum q. 234. n. 2. Quod Vicarius
conferre Beneficia, quod verbum pro-
prie acceptum dicit donationem gra-
tuam, absque speciali mandato ne-
queat, inde non sequitur, quod insti-
tutione presentatos nequeat; cum insti-
tutio non sit donatio libera, sed col-
latio beneficii seu tituli *necessaria*, sup-
ponens jus ad rem in presentatis: un-
de *conferre* in proprio sensu non com-
prehendit *institutionem*. Ex eo autem,
quod Vicarius deservire non possit,
non sequitur, quod nec valeat insti-
tuere; quia illud plus est, & nunquam
in iure conceditur Vicariis Generali-
bus, bene tamen istud; dein & alii,
Episcopi inferiores, sæpius obtinent
ius instituendi, quin tamen hoc ipso
ius deservire habere censeantur.

Ad II. Non desunt DD. qui cum
Bellamira *decif. 619.* allegante Rotam
putant, necessitatem edicti memorati
non satis probari ex *d. c. fin. de Elect.*
in 6. quia ibi continetur dispositio à
iure communi exorbitans, & identi-
fica, ac adæquata illius ratio, quæ fuit,
ut provisio fiat minus celeriter, non
venificatur in institutione, sicut in con-
firmatione; cum subinde expediat,
institutiones celeriter fieri, ne Bene-
ficia, Parochialia maximè, diutius va-
cant cum præiudicio animarum: u-
bi autem non est eadem adæquata
ratio, nec debet intelligi eadem esse
iuris dispositio, & similitudo rationis,
ubi non datur identitas rationis,
non admittit extensionem, nec facit
comprehendi alios casus similes. Suar.
de Legib. c. 3. n. 3. 4. lib. 6. Videatur

Lotter. l. 2. q. 13. n. 27. *seqq.* Leuren.
in for. Benef. p. 2. q. 192. n. 1. Sed
quidquid sit, etiam supposita veritate
communis sententiæ aliorum, qui
propter *cit. c. fin.* censent, requiri edi-
ctum ante Institutionem, certum
tamen est, quod non requiratur, ubi
usus & consuetudo viget contraria;
cum igitur in his partibus vel nun-
quam introductus sit usus hujusmo-
di edicti, vel iterum per consuetudi-
nem abrogatus, nulla datur illius ne-
cessitas. Garcias *p. 9. c. 4. n. 10.* citans
Rotam. Loter. *n. 36.* Leuren. *n. 3.*

Ad III. Imprimis negatur, quod in
hac dioecesi nullus instituatur propriè,
& collatò titulò, quia nullum exstat
exemplum, quod aliquis à Vicario
Generali institutus, seu ad Beneficium
semel admissus, pro libitu vel Vicarii
vel Episcopi fuerit iterum amotus, vel
ad permutandum compulsus. Dein-
de negatur, quod Episcopus, vel ejus
Vicarius, possit aliquem presentatum,
& pro idoneo agnitum, non propriè
instituere, seu titulum perpetuum non
conferre, ubi Beneficium est perpe-
tuum, uti sunt per se omnia Paro-
chialia, & Sæcularia, ut contradistincta
à Beneficiis Regularibus, cum in nullius
Episcopi vel Vicarii potestate ullatenus
sit (seclusò privilegiò Pontificis, quod,
quia concedi non solet, ideo nec
præsumi debet, nec facilè probari
potest) aliter instituere, vel presenta-
tos ad Beneficia admittere, nisi prout
volunt SS. Canones, & natura Be-
neficiorum exigit. Certè si auderet
Episcopus, vel ejus Vicarius, à se in-
stitu-

stitutum remove absque causa in Jure expressa, reclamaret utique non solum Beneficiatus amotus, sed etiam Patronus, cujus jus limitaretur, & quidem tanta vocis contentione clamaret, ut audire & exaudire deberet Roma, quæ nullatenus pateretur Institutiones fieri contra SS. Canonum Leges & Beneficiorum naturam, ac insuper cum animarum detrimento, quibus non expedit, imò nocet, frequens mutatio Rectorum Parochialium &c. Institutiones non patiuntur conditiones vel secundum rerum naturam, vel secundum juris dispositionem impossibiles. per *l. si quis ita. l. conditiones. l. institutio. ff. de condit. Instit.* Lotter. *l. 1. q. 32. n. 21.* Quodsi Vicarius Generalis in hac Dioecesi solet præsentationibus inscribere hanc vocem *commenda*, quæro imprimis, an id intelligatur de commenda temporali, vel de perpetua? non potest intelligi de temporali; quia Beneficium Parochiale & perpetuum non potest commendari, seu in commendam dari, sed, donec fiat provisio in titulum, debet constitui Vicarius temporalis, non *Commendatarius*, per *Trid. s. 24. c. 18. de Ref.* Vivianus *de Jure Patron. p. 2. l. 12. c. 10. n. 4.* præsertim Patrono non consentiente, si Beneficium sit Patronatum, cui Episcopus derogare nequit, sed solus Papa. Vivianus *n. 6.* præsertim ad tempus 6. menses excedens, intra quos Institutio Præsentati de Jure fieri debet; aliàs potestatem instituendi habens eâ privatur, & fit devolutio ad Superiorem. per *c. 2. de concess.*

præb. vel à Superiore compellendus est ad faciendam Institutionem, licet ad conferendum titulum Beneficii quod de se est perpetuum. arg. *c. de Offic. Jud. Ord.* Accedit, quod ubi commenda temporalis solum conceditur, signum sit, quod alius habeat titulum Beneficii in se perpetuum, at quis ille, si Præsentatus sit temporarius? alius verò, qui præsentatus non est, titulum consequi non potest in Beneficio Patronatus. Nec ad sex menses duntaxat Beneficium Curata Episcopus in commendam potest, uti declaravit S. Congregatio verbis: *Commenda, quæ ad sex menses Ecclesiis curatis fieri poterant ab Ordinariis juxta c. nemo de Elect. in 6. menses post Tridentinum locum non habet.* Corrad. *l. 3. c. 3. n. 20.* Garc. *p. 4. n. 15.* Leuren. *p. 1. q. 178.* præsertim cum commenda temporalis coincidat cum unione temporalis. *Decis. 772. n. 2.* cujus usus hodie non olevit teste Lotter. *l. 3. q. 8. n. 10.*

Si autem intelligatur de *Commenda perpetua* (quamvis & hæc à solis Pontificibus fieri possit dicant Auctores) multum litigabo cum Advocato, si forte de vocabulo duntaxat; nam etiam noster Parochus in perpetuum securus, non minus, ac si verè & perpetuus fuisset institutus collato sibi Beneficii *in perpetuum*, imò re ipsa taliter institutus, licet per vilius qualemcumque hæc provisio vocetur *institutio*, qualis esset, & sic de Jure cari deberet, sed *commenda*. Sequitur commenda perpetua liberam ac perpetuam confert potestatem

Beneficium tam in spiritualibus quam in temporalibus, non minus ac collatio, confirmatio, institutio, sitque talis, si ita loqui placet, *commendatarius* non minus Prælati, vel Rector Ecclesiæ, ac confirmatus precedente electione, item non minus fit Parochus vel Vicarius perpetuus, ac precedente collatione provisus, vel prævia præsentatione institutus. Loter. n. 120. æquiparaturque talis commenda perpetua Beneficio titulari in Trid. *Sess. 7. c. 4.* ubi prohibetur, ne quis duo beneficia curata simul habeat, licet unum solum obtinuerit in commendam perpetuam. Leuren. p. 3. q. 117. n. 1. & commendatarius talis consequitur jus in Beneficio & titulum, cum commenda perpetua succedat loco tituli, ut docet Palao cum communi; ut adeo commendæ perpetuæ parum hodie vel nihil distent ab aliis provisionibus Beneficiorum. Chokier de *permut. p. 2. c. 7. n. 41. 5. 6.* Leuren. q. 227. n. 7. cum Palao, Azor, Garcia.

Quod additum est de discordia non sibi Parochi cum Parochianis, quasi illa esset sufficiens causa ad jungendam ipsi permutationem cum alio Beneficio, non favet Advocato; vel etiam est talis discordia, quæ sufficit, ut Ordinarius injungere possit permutationem etiam propriè instituto, & titulum perpetuum Beneficii habenti, vel non? si talis est, potest compelli ad permutandum iste Parochus. (R. P. Pichler *Decisiones.*)

sed per hoc non infertur, quòd sit manualis, & pro libitu amovibilis, sed communem habet causam cum verè institutis &c. si non est talis, cogi æquè parum potest, ac alius verè institutus, & provisus in titulum, quia commenda perpetua est loco tituli; imò confert titulum, & temporaliter solum institui ut commendatarius temporalis in Beneficio Parochiali, aut curato sæculari ex se perpetuo, non potuit, uti demonstratum est. Dein videndum, antequam injungatur permutatio, an discordia sit cum omnibus, vel saltem majori parte Parochianorum, conjuncta cum scandalo magno, & orta ex culpa Parochi, an verò tantum cum paucis quibusdam, & quidem ex horum culpa, quorum malitiæ planè non est indulgendum cum tam gravi incommodo Parochi.

Ad IV. Jura hoc ipso, quòd Beneficia curata sæcularia &c. voluerint esse perpetua etiam respectu Beneficiatorum, voluerunt pariter esse securos ita, ut amoveri nequeant. *can. 2. d. 70. § c. un. de Capell. Mon. in 6.* ubi Episcopi jubentur titulum perpetuum conferre, non obstante quovis statuto vel consuetudine, ex justa utique causa, ne multiplex mutatio Parochorum, vel similium Beneficiatorum noceat bono animarum. Satis illos in timore contineri judicârunt Legislatores Sacri, quòd ex certis causis, in Jure nimirum expressis, etiam istos privari suis Beneficiis posse decreverint. Illa ratio, quòd, si sciant

N n n

se tam facile amoveri posse, magis stimulentur ad bene administranda Beneficia curata, non est, nec facit jus; potest quidem in certis circumstantiis sufficere, ut initio foundationis Beneficia hujusmodi constituentur manualia, vel fiant à Summo Pontifice (quamvis ordinariè melius esse videatur, & magis bono publico animarum consultum, si manualia non sint, sed perpetua.) quamdiu tamen non facta fuerint manualia, vel in fun-

datione vel auctoritate Pontificis, pro perpetuis habenda sunt, & Beneficia erunt inamovibiles nisi ex causis à iure approbatis. Id quod Romæ diligenter attendi ac observari cernimus. Sed enim duo exempla recentissima hujus observantiæ; cum enim duo Parochi in vicinis Diocæsisbus nuper sine causa in Jure expressa suis Beneficiisissent privati, eosdem Curia Romanaprius cognita causâ restituit, & Obidarios in expensas condemnavit.



TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

DECISIO LXXXI.

De habente signaturam ad Parochiam nondum vacantem, & postea non promotus.

SPECIES FACTI.

Bonifacius jam provecctæ ætatis Parochus Tobiam nepotem suum per 10. annos in Studiis enutritum, & usque ad SS. Ordines, etiam Sacerdoti, promotum avidè desiderabat habere successorem in sua Parochia, vivus tamen hanc dimittere volebat, Quapropter ut retinere Beneficium & ipse posset usque ad obitum, & Tobiam de illius adeptione securum red-

deret, institit multis precibus apud Patronum, cui jus præsentandi competebat, ut interposita fide Nati (nam Patronus est Comes perantiquæ Familiæ) Nepoti suo promissam præsentationem in eventum futuræ vacationis, atque ut promissam illam litteris, quas vocant Signaturam firmare non gravaretur. Comes Patronus seu his precibus flexus, in